

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Passio d  
cum fonte primo

Filius Dei ad crucem ducitur,  
expalmatur qui est uera palma uictorie,  
spinis coronatur qui peccatorum spinas  
uenit confringere, ligatur qui soluit  
compeditos, ligno suspenditur qui erigit  
elisos; aceto potatur fons uite,  
disciplina ceditur, salus uulneratur, uita  
moritur; occidit ad tempus uitam mors  
ut in perpetuum a uita occideretur mors.

Augustinus in libro de quatuor uirtutibus  
caritatis.

Clamauerunt Iudaei: *Crucifigite,  
crucifigite*: ut rei remaneret Iudaei,  
innocens ab eis crucifixus est  
Filius Dei. Ad crucem ducitur,  
expalmatur, qui est uera palma uictoriae.  
Spinis coronatur, qui spinas peccatorum  
uenit confringere. Ligatur, qui soluit  
compeditos. Ligno suspenditur, qui erigit  
elisos. Aceto potatur fons uitae,  
disciplina caeditur, salus uulneratur, uita  
moritur: occidit ad tempus uitam mors,  
ut in perpetuo a uita occideretur mors.

Quoduultdeus, *De quattuor uirtutibus  
caritatis*, 11, 5-7 (CCSL 60, R. Braun  
ed., p.375, ll.15-22).